


Roeper, August Heinrich Theophil
Immanuel

De dualis usu Platonico :



I 63 B 2 b Br.

Tillkomstår 1878

Digitaliserad år 2018



National Library
of Sweden

*Spraktvet.
lyrik
(Ow)*

DE
DVALIS VSV PLATONICO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAUSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE XV MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXVIII HORA XII

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

AVGVSTVS ROEPER

GEDANENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

MAXIMILIANVS OPPERMANN, PHIL. CAND.

CAROLVS HOFIVS, PHIL. CAND.

LVDOVICVS MONJÉ, PHIL. CAND.

GEDANI

TYPIS EDVINI GROENINGII.

1878.

PATRI CARISSIMO

DOCTISSIMO

MAGISTRO SUO PRAESTANTISSIMO

THEOPHILO ROEPERO

HAS PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

Kungl. biblioteket



0 0000 000097310

Dualis numerus cum in nulla lingua europaea praeter Graecam¹⁾ frequens fuerit, ne in hac quidem omni tempore aut in omnibus dialectis usitatus fuit. Dorica enim dialectus perpauca eius vestigia exhibet; illud ionicae genus, quo Herodoti scripta expressa sunt, pauciora, nam hic ne *δνοῖν* quidem legimus, sed *δνων*; in ionica autem priore et in aeolica, quales quidem in Homericis et Hesiodicis carminibus nobis occurrunt, creber est hic numerus, sed creberrimus in Attica dialecto (*ἡ τῶν δνῶν κατάχρησις Ἀττικῆ* schol. L ad II. A 6), hic enim ante Platonis aetatem eius usus non ita multo rarior erat quam si esset necessarius — quamquam necessarii ipsius aetas iam diu praeterierat. Habebant quidem etiam dialecti hae, quae duali utebantur, in quibus minus libenter scriptores eum ponerent sive ob insolentiam terminationis sive aliis de causis; sed ne hic quidem omnino eo abstinerunt. Verum quo tempore scripti sunt libri Platonis, Graeci homines his formis ita uti, ut sensus ducebat, paulatim desinebant et ab anno fere CCCXC^o a. C. n. eum remittere coeperunt, ut quinquaginta vel sexaginta annis post paene nemo eo uteretur, cum antea non semper quidem, ubi de duobus ageretur, sed sive in praedicato sive in subiecto sive in appositione quae dicitur sive alio loco aliquo paene semper usu venisset formulaeque quaedam et coniunctiones verborum quorundam fuissent, quae nisi

¹⁾ Graecorum sensum dualitatis vel inde cognosces, quod Pythagorei triadem primum numerum esse dixerunt, primum enim hunc initium medium finem habere; cf. quae collegit Theophilus Roeperus in Philol VII p. 546.

duali non efferrentur. Velut *δνοῖν* illo tempore semper cum duali coniungebatur nominis, apud Platonem autem inter alia in Legum, quas senex scripsisse traditur, l. IX 864 C *ἐν δνοῖν γένεσιν*, in Epinomide, quam Legum libris adiecit Philippus Opuntius, 981 E *δνοῖν μοιρῶν*, aliisque locis similia leguntur. Itidem, ut alia mittam, deae Eleusinae, quae antea semper τῷ *θεῷ* dictae sunt, post et αἱ *θεαί* audiunt (cf. i. a. de dativo et accus. C. I. A. II 315. v. 23. 28, etsi posterioris aetatis hic titulus est quam Platonicae). — Sed mutationis illius, quamquam haud multum temporis inter initium et finem eius intercessit, certi gradus erant, qui ipsis Platonis scriptis bene dignoscuntur. In iis enim, quae Platoni iuveni debentur, ipse genuinus ille conspicitur usus, qualis est apud Aristophanem; deinde dualis rarescit, multisque in dialogis pluralis quidem multo saepius legitur, sed extant non paucae formae dualiciae (ut utar hoc vocabulo); hoc tempore dualis, cum rarus esset, idoneus erat ad efficiendum sermonem communium verborum fastidientem et elegantem, quem omnino Plato adamavit; quamobrem in compluribus dialogis iuxta huius temporis notas inveniuntur insueta. Denique dualis evanescit plurali paene semper in eius locum succedente. Sed etiam eorum, qui hoc tempore orti sunt, librorum in quibusdam frequens dualis est, nam hi antiqui videri volunt, eamque ob rem talia captant, quod in Legibus conspicuum esse omnes concedunt. Scilicet diversus usus et in spuriiis dialogis cognoscitur, quorum auctores, cum intellexissent Platonem duali libenter uti, et ipsi saepissime eum usurpabant, sed neglectis legibus, quas Plato etiam in recentissimis scriptis secutus est. — Quas Platonis in usu dualis proprietates, quae quidem valeant ad illustrandam dualis historiam, enarrare in animo est, simul et quomodo genera supra enumerata inter se differant.

Pars etymologica.

A. De formis dualiciis nominum.

Terminatio $\bar{\alpha}$ neque umquam frequentem in usum venerat et in Platonis libris satis raro invenitur. Quam ut evitaret, scriptor permultis locis pluralem adhibuit, ut saepius pro portione I. declinationis pluralis pro duali positus sit quam II., cuius terminatio ω non offendebat (velut in Phaedro quinque locis *αι* et *ας* pro $\bar{\alpha}$, uno $\bar{\alpha}$, contra XXX l. *αι* vel *ους* pro ω , XXIII ω leguntur). Sed etiam alterum vitandi modum deprehendimus: communes formas dico pro femininis usurpatas. Quod cum saepe fieri fateamur, iam non opus est demonstrare, non semper Graecos ita femininis usos esse; quod enim e scriptorum locis non paucis apparere debebat, hoc inscriptiones quoque confirmaverunt: etiam in adiect. et part. $\bar{\alpha}$ terminationem inveniri (cf. i. a. C. I. A. I. 118). Sed negari non potest eam raram fuisse neque mirabimur, quod in iis maxime dialogis Platonis, qui antiquitatis colorem captant, non tam rara quam in aliorum scriptis est. Eorum igitur nominum, quorum etiam in ω formas licebat praeferre, dnalem in $\bar{\alpha}$ his invenimus locis: Theaet. 195 B: *ἀμφοτέρα*, Pol. 265 A: *τεταμένα*, 282 B: *μεγάλα*, Reip. III 410 E: *ἀμφοτέρα*, IV 422 E: *πολεμία*, Leg. III 692 D: *διεφθαρμένα*, Conv. 180 D: *θεά*. E quibus Platonis propria et arti-

ficiose quodammodo conformata sunt ἀμφοτέρω et θεά, quorum pro utroque alii aut plurali aut communi forma utuntur; quod indicare videtur scriptorem illos dialogos, in quibus ea legimus, insuetis verborum formis ornare voluisse et efficere, ut eorum sermo a populari differret; et hoc Plato potius posteriore tempore quam prima aetate fecit, praesertim cum eae formae tum demum aptissimae essent ad efficiendam sermonis elegantiam, cum du. omnino magis evanuerat. — Inter XIX igitur formas a nominibus eiusmodi derivatas septem sunt, quorum etiam communes formae dualis poni poterant; contra apud Aristophanem inter undeviginti tantum tres; apud tragicos autem, quorum usus, cum ad similitudinem Platonici prope accedat, hoc ipso hunc minus genuinum esse demonstrat, inter decem et septem: octo. — Etiam communis forma apud Platonem frequens est et praesertim iis accepta erat dialogis, quos et alii inter primos a Platone scriptos esse dixerunt,²⁾ quorum ea ipsa re sententia probari videtur; nam eius, qui sermonis antiquitati cuidam studeret, non erat, usitatiorem formam saepe pro rariore ponere, etsi haud semel pristina, quam antea ipse secutus esset, consuetudine inductus formam olim frequentem pro ea, quae et antea et post rara esset, usurparet. Multis quidem locis plane dignosci non potest, utrum formae in ω vel ε terminantes communes pro femininis positae an neutrales sint, quia Plato ad nomina abstracta, quorum grammaticum genus femininum est, saepissime neutrum rettulit (velut Theaet. 175 C ad εὐδαιμονίαν et ἀθλιότητα rettulit τὸ μὲν — τὸ δέ); sed his remotis sine dubio communes intellegendae sunt formae τούτω Theaet. 153 A. 195 B. 228 E. Phileb. 41 D. Reip. III 410 E V 452 A. Leg. III 679 B.

²⁾ Euthydemum praecipue dico et Phaedrum, de quibus virorum doctorum iudicia posteriore loco collegi; etiam tertium Reipublicae librum ante plurimos alios dialogos scriptum esse puto, cuius rei argumenta aliquot nonnullis locis afferre studebo

IX 875 C. Phaedr. 237 D, ποίω Theaet. 175 C, ἀξίω Euthyd. 306 C, ἔχοντε Poltc. 306 B, μόνω Leg. VI 777 C, ἄρχοντε et ἄγοντε Phaedr. 237 D. Quorum τούτω non tanti momenti est, quanti reliqua; nam cum ad pronominum naturam accederet, diutius eam formam, quae antea magis viguerat, retinebat, id quod et in gen. dat. du. II. decl. inque aliis factum esse videbimus. — Substantivorum praeter θεά sunt formae: a. subst. in η: τέχνη Soph. 228 E. Poltc. 282 B. Reip. III 411 E. V 452 A. Leg. III 679 B, μηχανά Leg. VI 777 C; — b. in α: δόξα Theaet. 195 B; — c. in α: ιδέα Phaedr. 237 D; — d. in ης: θηρεντά Soph. 221 D, παγκρασιαστά Euthyd. 271 C, ποιητά Ion. 531 B.³⁾ Apparet ibi potissimum duali abstineri, ubi forma dualicia nominativo singularis aut nimis similis aut par erat; qui metus fortasse praeter alia effecit, ut Graeci hac terminatione tam raro uterentur.

Formae in αιν. Neque has nunc quisquam negat etiam in adiectivis et participiis usurpatas esse; sed pro his quoque saepe communes formae occurrunt. Omnino igitur pro I. declinationis terminationibus II. terminationes ponuntur, quae res explicanda videtur ea lege, quam in aliis quoque multum valere videmus: ut frequentioris generis formatio in minus frequens transferatur, usitatoris in minus usitatum; sed ea translatio, in quibus fit, saepe quidem sed non semper fieri solet, (ut virorum nomina III. declinationem sequentia barytona saepe quidem sed non semper in accusativo terminationem I. declinationis assumunt). — In αιν adiectivorum et participiorum formae apud Pl. sunt οὔσαιν Soph. 265 E, ταύταιν⁴⁾ Pol. 260 E, νόθαιν Reip. IX 587 B, οὔσαιν

³⁾ et ex Iliade depromptum Ἀτρεΐδα Reip. III 393 A (= II. A 16).

⁴⁾ cur haec forma, quam itidem ut ταῖν atticam esse etiam nunc negant multi, retinenda videatur, eadem quae in ταῖν forma causae sunt, de qua postea disputabitur.

Leg VI 757 B, *ἐναντία* ibd., *οὔσαι* XII 955 D. Tim. 79 C. Quibus omnibus in dialogis (Rempubicam excipere nolo; nam etsi non tantum quantum alii dialogi a genuino abhorret usu, tamen haec quoque multas insuetas formas habet) cum aut antiquitatis aut eorum, quae rariora sunt, studium appareat, eo ex studio hae quoque formae natae esse videntur. Et *αι* magis elatioris quam vulgaris sermonis esse eo facillime cognoscitur, quod apud Aristophanem novies tantum occurrit, apud Sophoclem undevicies. Etiam subst. formae in *αι* apud Pl. in talibus potissimum dialogis⁵⁾ leguntur; sunt enim *ἐραστῶν* Erast. 132 D, *τέχνων* Pol. 260 C. 282 B, *πόσιων* Reip. IV 422 B, *διαφορῶν* V 470 B, *μυῶν* Leg. VI 754 E. 774 D, *ἐστίων* 771 C, *οἰκίων* 775 E, *νομοθέτων* XI 913 D, *εἰσφορῶν* XII 955 D, *χώρων* Parm. 149 A, *τορύνων* Hipp. mai. 290 E. 291 C, *ψυχῶν* Epist. VIII 357 B, *δογμαῶν* Axioch. 366 C. Quod omnium in *αι* formarum paene dimidium in Legibus extat, quarum a populari longissime abest sermo, documento esse puto, *αι* terminationem Platonis tempore paene obsoletam fuisse. Neque id sufficere videtur ad explicandam harum formarum in Legibus multitudinem, si dicas plurimis ibi locis nomen cum *δνοῖν* coniunctum legi; nam et in illis et in Sophista Politicoque, qui et ipsi formas in *αι* habent, *δνοῖν* cum plurali coniunctum invenitur⁶⁾, ut appareat ornandi maxime causa in his dialogis terminationem *αι* esse usurpatam neque genuinum esse hunc usum; extant enim in eodem scripto tum quae etiam vigente dualis usu rariora essent, tum quae propria obsolescentis. — Formae communes sine dubio sunt *ἀνοῖν* Theaet. 200 B, *ἀλλήλων* Euthyd. 289 C, *τούτων* Leg. X 798 A, *οῖν* Phaedr. 237 D. Hipp. mai. 291 C; de genere dubitatur

⁵⁾ in Politico permultae formae ususque insueti inveniuntur; vide praeterea quot formae in *αι* in talibus leguntur scriptis, quae vulgo spuria habentur.

⁶⁾ vide, quae de *δνοῖν* dicentur.

(causa supra dicta est) Theaet. 175 C (duob. loc.). Soph. 252 D. 255 A (II l.). Euthyd. 281 E. 285 B. Phil. 18 E (II l.). 38 B. 57 C. 65 B. Poltc. 282 E. Reip. I 348 C. II 367 A. 368 C. V 478 D (II l.). Leg. I 644 C. III 693 D. X 902 C. XII 961 D. Parm. 149 E; sed fortasse quae his locis extant formae omnes neutrales habendae sunt.

Terminatio *ω*, frequentissima omnium terminationum dualiciarum, etiam apud Platonem permultis locis invenitur. Sed considerantibus apparet longe alia ratione atque apud alios scriptores eius numerum inter varia nominum genera distributum esse. Nam cum in Aristophanis comoediis inter CIL formas in *ω* CXV a substantivis, XXI ab adiectivis, XIII a part. derivatae sint i. e. e centenis LXXVII subst., XIV adi., IX sint part., apud Platonem e CCLVI: XLVII subst., CLXXVIII adi. (LXXVI vera, CII pronominalia), XXXI part. sunt i. e. e centenis: XVIII subst., LXX adi. (XXX vera et XL pron.), XII part. Atqui verus dualis a substantivorum duali primordia capit sensusque dualitatis in his maxime haeret; sequitur igitur Platonem iam longe a genuino usu recessisse, quem Aristophanes, qui fere nihil addebat neque demebat sermoni populari, multo magis secutus est, et apparet ipsa Platonis aetate, qui iuvenis Aristophanem senem vidisset, illam mutationem accidisse (nam neque ita rara Platoni occasio erat dualis in substantivis usurpandi, neque solo sermonis minus popularis studio illa efficitur differentia, nam apud tragicos et ipsos elatiore sermone utentes centenarum eiusmodi formarum quinquagenae singulae a substantivis derivatae sunt). Etiam inde imminutio illa usus cognoscitur, quod membrorum geminorum nomina, quorum saepissime dualem apud priores scriptores invenimus (velut *δφθαλμῶ* et *δφθαλμιδίω* in Aristophanis comoediis decem locis legitur, octo *χεῖρε*, novem *πόδες*), apud Platonem paene semper plurali efferuntur. Eorum enim, quae II. declinationis normam sequuntur, nominum unum extat in *ω* exiens

exemplum *ῥῶφθαλμῶ* accus. Reip. II 361 E.⁷⁾ Quae res testimonio esse videtur, hunc Reipublicae librum ante plurimos ceteros dialogos esse scriptum (nam occasio neque in his deest; ut in *Lyside* 155 C sqq. compluribus locis *ῥῥῥαλμῶς* extat). — Neutorum multorum apud Platonem formas in *ω* legimus, quas alii auctores etsi non vitant, tamen rarius usurpant. Hoc quoque, cum ad explicandum non sufficiat dicere in Platonis scriptis saepius de abstractis sermonem esse, quorum nomina neutrius plerumque generis sunt, Platonicae consuetudinis documentum est; abstracta enim ut duae res coniunctae fingi non facile poterant; at eae potissimum res dualem in nominibus assumebant, quae coniunctae dicentis animo vel semper praesentes essent vel facile fierent. — Inter vera quae dixi adi. *οἶω* (VIII loc.), *ποιῶ* (uno l.), *μόνω* (IX l.) proxime absunt a pronominalibus adiectivis. — Etiam hic igitur videmus pronomina iisque similia diutissime veterem formam retinere in nominibus iam prius paulatim amissam. — Memorabile fortasse est in Rep. XXVII, in Leg. autem XII tantum formas in *ω* legi; cui Legum usui comparari potest tragicorum usus, quorum in XXXIII servatis fabulis numerus harum formarum XLV minor est quam in XI Aristophanis (LXXVII apud illos, CXXII apud hunc invenimus); causa esse videtur, quod haec terminatio non satis rara tragicis sit, Platoni Legum tempore fuerit. Etiam Tim. XI tantum, Phaedr., qui haud exiguo brevior est, XXIII formas in *ω* continet. Unde cernitur, in quibus affectatione magis et in quibus magis naturali quodam sensu ductus duali utatur scriptor. — Omnes CCLVI formas locosque enumerare nolui; novi enim nihil eo afferri posse puto.

Terminatio *οιν* II. decl. apud priores quidem cuilibet nomini sine ulla exceptione adiungitur, apud

⁷⁾ et ex Arist. Nub. 362 depromptum idem vocabulum Conv. 221 B.

Platonem vero etiam hac in re decrescentis dualis signa apparent. Certae enim sunt condiciones, quibus scriptor hanc terminationem usurpat; nam aut pronominalia sunt adiectiva, quae *οιν* terminationem assumunt, aut nomina cum *δνοῖν* vel *ἀμφοῖν* coniuncta. Et in illis quidem causa est, quod pronomina certas formas habere solent, quarum in terminationibus numquam aut non facile quicquam mutetur, velut antiquae terminationes quaedam in pronomibus solis servatae sunt: *ἡμῖν*, *ἐμοί*, — in his, quod *δνοῖν* et *ἀμφοῖν* tam apertam habebant dualicam et notionem et terminationem, ut, cui sensus dualitatis nondum periisset, non posset non in adiunctis vocabulis dualem ponere. — Sola excipiuntur *ξένοι* Euthyd. 272 B duobus locis. 293 A, *δεινοῖν* 273 E, *τοιούτοι* Reip. II 361 D, *θεοῖν* Leg. VI 774 E, *δευτέροι* *γενομένοι* Criti. 114 B, *δευτέροι* 115 E.⁸⁾ Legum in loco haec forma aperte per archaismum et servandae formulae antiquae causa a scriptore praelata est; locus enim est hic: *ῥφειλέτω μὲν τῶ δημοσίῳ τοσοῦτον ἔτερον, τὸ δὲ δοθῆν ἢ ληφθῆν ἰερόν ἔστω τῆς Ἡρας τε καὶ τοῦ Διός, πραινόντων δὲ οἱ ταμίαι τοῦτοι τοῖν θεοῖν*; in quibus eorum, qui in inscriptionibus versantur, quis nou animadvertit solennes formulas in illis usitatissimas? — E reliquis autem locis eos, qui sunt Euthydemii, probare puto hunc dialogum, cuius omnino dualis usus ab Aristophaneo non ita multum distat, inter priora Platonis scripta esse, cum formas postea reiectas retineat; affectationis enim hoc non esse eo apparet, quod neque in Legibus, praeter locum supra commemoratum eosque, quibus *οἶν* extat, quorum omnium non eadem condicio quae locorum Euthydemii est, neque in aliis eiusmodi dialogis *οιν* terminatio II. declinationis

⁸⁾ *οἶν*, quod Leg. I 644 C. II 662 D. Phaedr. 237 D. Hipp. mai. 291 C legitur, aliis locis ob artam cum duali enuntiati primarii coniunctionem positum est, alio (Leg. I 644 C) ipsa haec dualis relativi cum plurali substantivi, ad quod illud respicit, coniunctio genuinum usum abesse demonstrat, etsi fortasse hoc loco ipsum illud *τοῦτοι* *ἀμφοῖν* adiuerit, ut dual. term. usurparetur.

ita adhibita est. In Critia autem, qui eo ipso quod in eo ad Timaeum respicitur, indicat se huius temporis propinquum esse, eo, quod tamen eiusmodi formas continet, nonnihil afferri puto ad confirmandam eorum sententiam, qui eum Platonis esse negant⁹⁾, sed potest *δευτέρω* singularem obtinere locum putari. Exemplum denique, quod in Republica extat, non ad pronominum naturam revocandum videtur — nam *τοιούτος* adiectivis multo propius est — sed ipsum quoque probare ex antiquioribus esse hunc R. librum. — Aliis locis, ubi hoc *ων* invenitur, aut *αυτων* legitur (his LVIII: Apol. Socr. 20 A. B. Phaeton. 71 C. D. Erast. 132 B. Theaet. 175 C bis. 185 B. 200 B. Soph. 254 D. 255 A bis. Euthyd. 271 C. 272 A. D. 273 B. D. 276 D. 278 C. 285 B. 288 C bis. 303 C. Gorg. 500 D bis. 524 B. Phil. 18 E bis. 20 B. 31 B. 38 B. 57 C. 65 B. 67 A. Men. 98 D. Lach. 186 A. Pol. 261 C. 272 B. Reip. I 348 C. II 361 D. 367 A. 368 C. 375 A. III 397 B. Leg. IX 868 A. XII 963 D. Parm. 143 C. D. 155 A. 161 D bis. Conv. 221 A bis. Phaedr. 242 E. 253 D. 256 C. 265 D. Eryx. 396 A) aut *τούτων* (his XXXVIII: Euthyd. 281 E. Hipp. min. 363 B. 364 C. 370 D. Crat. 415 A. Gorg. 475 A. Phil. 23 D. 25 B. 57 C. 67 A bis. Men. 98 C. Pol. 282 B. E. 311 B. Reip. V 478 D bis. IX 583 C. 584 A. Leg. I 644 C. III 693 D. VI 774 E. VIII 829 A. 842 B. IX 861 D. 864 C. 867 D. X 898 A. 904 B. XI 913 D. XII 941 B. 961 D. Parm. 129 A. 150 D. 161 D. Conv. 202 B. Epist. VIII 357 C. Eryx. 393 B) aut *αλλήλων* (his XXI: Theaet. 185 B. Soph. 252 D. Euthyd. 273 B. 289 C. Gorg. 500 D. 524 B bis. Lach. 186 D. Pol. 260 B. 263 A. 284 E. Reip. III 391 C. 411 E. IV 427 D. X 614 C. Leg. X 902 C. Parm. 149 E. 155 A. 161 D. Phaedr. 256 C. D) aut *ἐκείνων* (Tim. 31 A) aut nomina cum *δνοϊν* coniuncta (his XXI¹⁰⁾: Euthyd. 306 A bis.

⁹⁾ velut Socherus.

¹⁰⁾ etiam *τούτων* et *αυτων* nonnullis supra enumeratorum locis cum *δνοϊν* vel *αυτων* coniuncta sunt.

Prot. 358 D. Gorg. 473 D. 475 A bis. Men. 99 A bis. Reip. IV 422 B. Leg. VI 757 B. X 908 E. Tim. 53 D. 54 A. 56 E. 63 C. 79 D. Criti. 115 E. Parm. 142 E. 149 B. 160 A. Eryx. 393 B) aut cum *αυτων* (his VII: Prot. 337 A. Phil. 44 D. Pol. 311 B. Reip. V 455 D. IX 572 D. Criti. 119 B. Parm. 137 E.). *αυτοτέρω* Euthyd. 306 A nisi pronominis i. e. vocabuli numeralis vim habet, dubito an cum aliis signis Euthydemi aetatem indicet. — Quae terminatio cur inter primas evanuerit, facile fingi non potest. Poteris dicere hoc propter insolentiam syllabae *ων* in fine positae evenisse; sed alia eiusmodi diutius remanserunt (velut terminatio *σθων* al.). Neque sufficit dicere *ων* in II. declinatione propterea prius *ων* terminationis in locum subisse, quod in tota ea decl. o vocalis praevaleret. Utrumque fortasse aliquid attulit ad illud efficiendum; sed causam certam fateor me non invenisse.

Etiam in term. ε substantivorum usus admodum exiguus est. Nam cum inter CXXX formas LII tantum participia non sint, harum LII: XXIII *ωνέ* et duae *ίνε* sunt, ut substantivis et adiectivis XXVII tantum relinquuntur, quarum XXIV subst. sunt et tres adi.; apud Arist. LXXIV formarum XXXV subst. sunt i. e. centenarum quadragenae septenae, apud tragicos CVI formarum XXXV i. e. centenarum tricenae ternae, apud Platonem duodevicenae; Platonis igitur usus propior est tragicis, remotior ab Aristophane; quae res satis Platonis in historia dualis locum indicat. — Illa substantiva sunt *νίε* Apol. Socr. 20 B (bis), *παθήματα* Soph. 228 E, *Ἀκαρῶνες* Euthyd. 271 C, *γέροντες* 272 B, *ἄνδρες* 273 C. 303 A. B. 304 C, *νίε* Alcib. pr. 118 E (bis), *ἐπιγράμματα* Hipparch. 228 E, *γένε* Pol. 260 B, *νοσήματα* Reip. III 391 C, (*κοσμήτορες* 393 A = Hom. II. A 16) *μιμήματα* 395 A, *φύσε* (sed melior lectio *φύση* videtur esse) 410 E, *φύλακες* V 465 B, *κώματα* 472 A, *Ἐρωτες* Conv. 180 D, *χεῖρες* C. 213 D. 214 D. 219 B, *ἄνδρες* Epist. VII 334 C; adiectiva sunt

ἄφρονε Leg. I 644 C. Tim. 69 D, συγγενέε Eryx. 396 D. Cum inter omnes ab Alexandrinis Platoni tributos dialogos adiectivorum formas in ε solae haberent Leges et Timaeus, quae propter originis aetatem affectare tantum dualem potuisse putanda sunt scripta, hoc de Eryxia a Graecis ipsis spurio habito dubitationem mihi movit; affectationem enim ne putarem, vetabat totus huius dialogi mos; sin genuinum usum, incredibile erat reliquos prioris temporis dialogos nil tale continere, sed hunc solum — etsi etiam ante Platonem dualis adiectivorum III decl. rarus erat. Optimum igitur visum est Eryxiam adulterinum ducere, secutum et Graecorum praestantissimos criticos et nostri temporis paene omnes, qui hac de re disseruerunt, et eius auctorem putare tam bene quidem Platonis usum novisse, ut eum dualem adamare intellexeret, sed non, ut singulas leges a Platone observatas animadverteret. — Membrorum nomen solum χεῖρε quibusdam Convivii locis legitur, unde si non, quo tempore is dialogus scriptus sit, cognoscimus (cf. quae ad terminationem ω de membrorum nominibus dicta sunt), at certe dicendi genus eius vere atticum esse intellegimus. — Formae in η a neutris derivatae, quoniam terminatio eadem est, quae in nom. acc. plur., ipsae numerum non indicant; sed propter vocabula cum iis coniuncta certum est dualicia esse εἶδη Theaet. 181 D. Soph. 236 C. Reip. IX 572 A. Leg. V 735 A. Phaedr. 253 D, μέρη Soph. 222 B. Pol. 282 B,¹¹⁾ γένη Soph. 254 E. Reip. VIII 547 B (sic praeter plurimos ceteros codices prima manus Parisini, cuius corr. cum Π γένεε exhibet; et cum in Φη γένε extet, quod facilius e γένεε quam e γένη oriri potuit, fortasse illud praeferendum est), ἀτελή Phil. 24 B, ὑγιή Tim. 88 B; verisimile est dualicia esse μέρη Soph. 265 B, εἶδη Leg. X 901 B, γένη Tim. 51 D.

¹¹⁾ τοῦτων ἑκάτερον ἅμα δυοῖν πεντάκτον τέχνων μέρη, non sine dubio propter praedic. dualicium habendum est (cf. partem syntacticam), sed quia omnia, quae hoc loco leguntur, dualem praebent, hoc et in μέρη vocabulo maxime verisimile est.

Pluralia sine dubio sunt μέρη Soph. 220 B, γένη 228 D. Pol. 306 C, εἶδη Reip. III 397 B. IV 439 E. Leg. I 646 E. VI 751 A, εἶτη 762 B, μέρη VIII 848 C, πάθη X 888 C, μέρη 895 E et, ut videtur, εἶδη Soph. 223 C. 227 D. Phil. 51 E. Pol. 258 E. Leg. IX 861 B, γένη Pol. 285 B, μέρη Leg. V 735 E. Dubitatur reliquis locis (Phaedn. 79 A. Theaet. 156 A. Soph. 219 A. D. 226 C. 227 C. 228 E. 235 D. 264 C. 265 E. 266 D. E. Gorg. 454 E. Pol. 258 C. 262 D. 263 C. 283 D. Reip. IV 440 E. Leg. VI 760 C. VII 814 E. 816 B. VIII 844 E. IX 867 C. 880 C. X 901 B. Tim. 48 E. 68 E. 86 B. Phaedr. 265 A), quorum fortasse in aliis dualis in aliis (velut in Leg. IX 867 C. 880 C: δὲ εἶτη, quae mera est enumeratio) pluralis intellegendus est. Alii scriptores iis locis, ubi numerus dignosci potest, dualem certo posuerunt (Aristophanes novem, Lysias duobus locis), pluralem nusquam; sed nonnullis locis dubitatio relinquatur. Unus igitur Plato pluralem hic certo usurpavit. — Participiorum permulta neutra sunt (cf. i. a. Phil. 24 B sq.), quod alias rarissime occurrit (apud Homerum tantum μ 401 = 433, uno loco apud Aeschylum, uno apud Euripidem, nullo apud reliquos), sed hac in re etiam id aliquam vim habuisse videtur, quod valde frequenter offerebatur philosopho occasio utendi neutrorum duali. — Paene omnibus locis, ubi -ε legitur (quos enumerare omnes longum est) codices nonnulli -ες praebent et ipse Par. et Clark. quibusdam locis -ες exhibent, ubi ceterorum complures -ε. Sed Euthyd. 273 A. 277 E (εἰσελθόντε, παίζοντε) propior verbi dualis est, quam ut putem pluralem recipiendum esse¹²⁾ (v. partem syntact.); etiam de Phaedr. 261 B haec est sententia (ubi praeterea σχολάζοντες συνεγραψάντην pro -τε συν- facillime repetita per vitium litera σ ortum esse potest, et NP -u habent, quod librarium pro -τε quam pro -τες scripsisse verisimilius est). Gorg.

¹²⁾ etiam ὀρχεῖσθον παίζοντες, ὡς μετὰ τοῦτο τελούντε minime placet.

481 D. Phaedr. 254 B reliquae omnes enuntiatorum duorum partes duali efferuntur, ut probabilius sit etiam *πεπονθότε* et *τελευτώντε*, non *-εσ*, Platonem scripsisse.¹³⁾ Quid enim mirum? accidit hic Clarkiano, quod permultis codicibus et Platonis et aliis saepissime (cf. i. a. Eurip. fr. 388, ubi hoc errore effectum est, ut contra metrum *αἰμοσταγεῖς προησῆρες ὄ.* pro *-γῆ -ρε* scriptum legeremus). An putas Clarkianum errare omnino non posse? Si hoc persuasum est, conferas i. a. locum Phil. 24 B, ubi optimus ille codex *ἄτε δῆλόν τε* pro *ἄτελῆ δ' ὄντε* praebet, quod librario tantum dualis ignaro tribuere possumus (similiter A Reip. III 395 A *μιμήματα τε* pro *μιμήματε* habet, lectionem sensu carentem, quae inde orta est, quod librarius, quid *μιμήματε* esset, nesciret, nisi super extremam syllabam, quae est *τα*, aliquis posuerat *τε* et posterior scriba utrumque textui intulit.) — Euthyd. 273 B *ιδόντες* et *ἀποβλέποντες* longius quidem a verbi duali absunt; sed omnino puto iis locis, ubi vel in uno vel in pluribus codicibus dualis legitur, melius hunc recipi; facile enim explicari potest dualis in pluralem mutatio, sed sponte sua hominem medii aevi dualem pro plurali scripsisse maxime incredibile est; scilicet literarum confusione vel simili modo fieri potuit, ut dualicia terminatio evaderet; sed ubi locus ceteroqui sanus est, pluralem coniectura inferre non ausim. Itaque Schanzio (cf. Nov. comm. Pl. p. 28 et textum Euthydemii eius) assentiri nequeo, sed Platoni dualem servare (praesertim in Euthydemo tot eum locis continente) malo.

In terminatione *οιν* III declinationis res non omnino pariter se habet atque in II. decl. In qua cum e CLX formis XIV tantum non sint pronominales aut cum *δνοῖν* vel *ἀμφοῖν* coniunctae, in hac tertiam fere partem (e LXIV : XXI) his condicionibus non coerceri videmus. Est quidem alia ratio atque apud

¹³⁾ Omnibus his locis multi codd., quamvis deteriores, dualem habent praeter Phaedr. 261 B, ubi eum solus corr. *Γ* praebet.

alios scriptores, velut apud Aristophanem, apud quem inter XXIV tres tantum formae cum *ἀμφοῖν* coniunctae sunt (nulla cum *δνοῖν*, nulla extat pronominalis), sed alterius terminationis *οιν* usus talis est, ut sperare potuerimus etiam hic liberum usum non esse multum. Liberior igitur is quidem est, sed non eodem modo quo apud priores; maximam enim partem certis in vocabulis haesisse videtur inque iis per consuetudinem quandam haec term. esse servata.¹⁴⁾ XXI enim illorum locorum duodecim *ἀνδροῖν* exhibent (Euthyd. 272 B. D. 276 D. 288 C. 301 B. 303 B. Hipp. min. 363 B. 364 C. 370 D. Lach. 184 D. Reip. II 361 D. IX 587 C), duo *χεροῖν* (Erast. 132 D. Theaet. 155 E), quorum in utroque dativus instrumentalis est, cuius formae apud tragicos largissimus est usus (praesertim apud Euripidem innumeris paene locis hoc *χεροῖν* legimus). Praeterea formas in *οιν* Euthyd. 273 E. Lach. 186 A. Reip. II 361 D invenimus, quos prioris usus et alia permulta habere videmus dialogos. Theaet. 144 E (*νοῖν ἐχόντων ἐκατέρου*) du. fortasse propter viciniam pronominis *νοῖν*, formae tam aperte dualiciae, positus est. Leg. X 898 A *τούτων τῶν κινήσεων* extat, quod, cum dualis vocabulorum in *-ις* multo rarior sit quam aliorum III. declinationis substantivorum, ex illis habendum esse videtur, quae ad antiquitatis colorem in Legibus efficiendum pertinent¹⁵⁾. Phdn. 71 E *τῶν γενεσέων* in genit. partit. positum est, qui dualem saepe servavit; itaque et hac de causa et fortasse ideo, quia genuini usus hic restant quaedam reliquiae (cf. verbi usum in Phaedone)¹⁶⁾ elegantiae

¹⁴⁾ Ita apud Isocratem praeter coniunctas cum *δνοῖν* omnes paene formae dualiciae *πόλη* et *πολέων* sunt quaeque iis in enuntiatibus adduntur: *τῶ πόλη τούτω, τῶν πολέων ἀμφοτέρων* et sim.

¹⁵⁾ fortasse hic locus Philippi Opuntii est, cui commemorationem dei malevoli 896 E deberi sunt qui credant.

¹⁶⁾ qui haud brevis est et quaesiti nil habet; veluti *ἐγάνην, ξυνωμολογείτην* insunt; talibus in enuntiatibus brevitatis causa etiam prior scriptor duali usus esset.

studio retentae, et haec forma dualem exhibet. Denique Epist. VIII 357 C *τούτοιον ξυνομολογησάντων* extat, cui loco nulla illarum causarum succurrit; itaque et hoc iis adnumerandum esse puto documentis neque alias raris, quibus Epistolae non Platonis esse arguuntur; nam cum velint esse senis Platonis, multo prioris aetatis usum retinent.

Pron. pers. Pronominis primae personae dualis apud Platonem paucis tantum locis legitur: *νώ* Alcib. pr. 124 D. Phaedr. 259 A. 278 B, *νών* Erast. 134 B. Theaet. 144 E. Soph. 218 D. Phil. 28 A. 41 A. 53 E. 62 E. Pol. 258 B. 267 D. 286 C. Leg. VI 781 D. VII 792 C. Conv. 219; B. Phaedr. 269 B. Epist. III 316 E; quorum summa XVIII tantum est; contra apud Aristophanem pron. I. ps. du. LVII locis invenitur (XIV *νώ* et XLIII *νών*), apud tragicos XLIII loc. (X *νώ* et XXXIII *νών*), apud Homerum LXXVIII l. (LIV nom. acc., XXIV gen. dat.). Etiam hoc igitur inter ea formarum dualiciarum genera est, quae mature decreverunt; et ob id ipsum usus eius in Epistolis offendit. Maturum hunc interitum inde quoque bene cognoscimus, quod iam in Euthydemo, quem in prioribus dialogis a Platone scriptum esse multis in rebus conspicuum esse mihi videtur, nullo loco scriptor hoc pron. usus est; omnino quidem illo tempore nondum evanuerat, nam in Phaedro exempla extant. Postea, in quibus dialogis quaedam quasi captatio insuetiorum agnoscitur, in iis ob ipsam illam raritatem usurpatae sunt hae formae. — Plures sunt loci, in quibus pronominis II. ps. dualis invenitur; legitur enim *σφώ* Euthyd. 273 E bis. 274 E. 275 B. 293 E. 303 C. Leg. I 646 B. III 702 C. IV 705 D. X 900 C. Epin. 979 E — XI locis, *σφών* Theaet. 193 C. Euthyd. 274 A. 278 D. 282 D. 304 A. Leg. I 639 D. II 658 C. 673 D. III 688 A. 689 A. VI 770 A. 781 D. VII 792 B. 821 E. VIII 837 E. X 892 E. 896 E — XVII locis, summa igitur XXVIII est; idem numerus est harum formarum apud Aristophanem (X *σφώ*, XVIII *σφών*), sed copiae librorum utriusque ratione

habita apparet comicum saepius illis usum esse formis. Quod paene solis in Euthydemo et Legibus hoc pronomen extat, potest quidem etiam inde explicari, quod in his praecipue duos quosdam tertius alloquitur; sed cum in aliis dialogis saepissime data occasione ponendi formas dualicias *ὑμεῖς* etc. tantum reperiatur (cf. i. a. Prot. 330 E. 337 A. B. E. 338 A. B. 353 A. 357 C. 358 A ter; Lach. 178 A bis. B bis. 179 B bis. C. 180 A bis. 181 D. 186 E. 187 A. B ter. C. D bis), altera quoque subesse videtur causa: quod Euthydemus eius temporis fuit, in quo nondum evanuerat huius pronominis dualis,¹⁷⁾ Léges autem antiquas formas libenter assumunt; quod utrumque recte existimari etiam alia sunt quae probent. Itaque non licere existimo dicere *σφώ* et *σφών* diutius usitata fuisse quam *νώ* et *νών*, sed, cum et primae aetatis et affectantium generis singuli sint dialogi, in quibus permulta illorum usurpandorum occasio fuerit, tot locis ea inveniri, quamvis in plerisque dialogis nullum eorum extet exemplum; ut maior sit numerus locorum qui pronominis II. personae dualem praebent quam eorum, qui I. personae, quamvis in universum hoc utendi saepius locus fuerit.

Articuli dualis habet de quo dubitetur; generum dico usurpandorum rationem. Et masculinis quidem substantivis aut neutri generis semper articuli masculinum aut neutrum genus additur, in femininis autem varietas conspicitur. Neque verba facere volo de nom. acc., nam hic Plato semper *νώ* forma utitur (Theaet. 195 B. Gorg. 524 A. Reip. III 410 E. IV 452 A. Leg. III 679 B. 692 D. Conv. 180 D. 213 D. 214 D. 219 B); in gen. dat. autem et *των* et *των* scriptum videmus; *των* enim legitur Pol. 260 C. Leg. VI 775 E bis. XI 955 D. Tim. 79 D; *των* pro fem. extat Phaedn. 71 E bis. Erast. 132 B. Theaet. 155 E. Prot. 314 D. Pol. 291 E. Leg. VI 757 E. X 898 A.

¹⁷⁾ etiam in hoc dialogo saepe pro duali pronominis pluralis extat, velut 303 C. D ter. E. 304 A ter. B

Hipp. mai. 290 E. 291 C, quibus in locis paene omnibus correctores aut dett. codd. *ταῖν* exhibent. Neque tamen ego universum illud *ταῖν* ab Alexandrinis demum formatum puto,¹⁸⁾ nulla enim ratione id demonstrari potest. Nam adiectivorum et participiorum constat et femininas et communes formas idem valentes extitisse (cf. i. a. C. I. A. I. 123. v. 11 ἀργυρᾶ et Hom. Il. Θ 455 πληγέντε vel Eur. Suppl. 140 ἐμῶ), nihil igitur convincunt, qui contendunt non debere duas formas eandem habere vim, sed ipsi inscriptionibus convincuntur; neque pronomina in rebus dualiciis ab adiect. et aliis nominibus eo differunt, quod, cum licitum sit duobus modis flectere, in pronominiibus altero tantum, in nominibus autem utroque homines utantur modo, sed eo, quod pronomina diutius antiqua retinent, quia certas habere et servare solent formas. Codicum quoque non alia est condicio in adiectivorum et participiorum duali atque in pronominiibus; utrorumque enim alio loco femininam alio communem term. praebent. Inscriptionum autem auctoritas, in quibus *ταῖν* non extat, frustra affertur; nam cum innumerabilium inscriptionum admodum paucae ad nos pervenerint, quis tandem affirmare potest in perditis nullum eius exemplum fuisse? Praeterea hoc ipsum, quod in Pol. Leg. Tim. legitur *ταῖν*, qui insuetas formas et alias saepe usurpant dialogi, nonne argumento est consilium usui inesse et *ταῖν* illis in scriptis a Platone ut formam minus frequentem adhibitam esse? Et solemnem quendam eius usum fuisse, non facticium, indicare videtur, quod Arist. Thesm. 296 in prece publica a praecone edicta invenitur (ἐνχεσθε ταῖν Θεσμοφόροις; solent autem in precibus dei et deae accurate distingui, velut v. 331 sqq. τοῖς θεοῖσι τοῖς Ὀλυμπίοις καὶ ταῖς Ὀλυμπίασι καὶ τοῖς Πυθίοις καὶ ταῖσι Πυθίασι καὶ τοῖς Ἀγείοις καὶ ταῖσι

¹⁸⁾ primus Cobetus (Var. Lect. 69 sqq.) hanc et ceteras femininas formas dualicias Atticorum in usu fuisse negavit iterumque eam sententiam protulit Nov. Lect. 695; de pronominiibus solis hoc iudicium tulit cum aliis Weckleinus (cur. epigr. p. 14 sq.).

Ἀγείοις; fortasse igitur hanc ipsam ob causam accuratius illud *ταῖν* dictum et scriptum est). Porro, si grammatici *ταῖν* ut veram formam ipsi scriptoribus inculcassent, sine dubio nullum locum incorrectum reliquissent; si eorum auctoritate dumtaxat a librariis vel aliis *τοῖν* in *ταῖν* mutatum esset, certo exigua putanda esset Alexandrinorum auctoritas, nam in parte tantum non magna locorum homines eos secuti essent. Quid? si Alexandrinis id propositum erat, ut, ubicunque duorum generum vel aliorum quorundam notione diversorum formae grammaticae non essent diversae, ipsi distinguerent formas ad analogiam fictis, cur, quaeso, tantum operis infectum reliquerunt tam paucis absolutis? Definiverunt Alexandrini veras formas monumentis litterarum perlustratis, non finxerunt. An, si finxerunt illud *ταῖν*, quomodo evenit, ut iis locis, in quibus alii *τοῖν* alii *ταῖν* exhibent codices, in melioribus *τοῖν* insit, in iis igitur, qui Alexandrinos propius attingunt? Quibus locis ut deteriores quidam codd. et correctores quidam *ταῖν* praeferrent, ita factum esse videtur, ut nonnemo, qui aliis locis cum femininis coniunctum *ταῖν* legisset neque atticum illum communium formarum pro femininis usum nosset aut intellexisset, in margine aut supra versum *ταῖν* ascriberet et inde in dett. codd. hoc in textum irreperet. Equidem igitur neque *τοῖν* neque *ταῖν* ab Atticorum usu alienum fuisse credo, sed saepius quidem eos communi forma usos esse ut omnino in femininorum duali, sed haud semel etiam in pronominiibus formas vere femininas usurpasse¹⁹⁾ (et ob raritatem Platonem iis usum esse), eamque ob rem quae quoque loco in optimo codice extet forma, eam esse in textum recipiendam.

δύο. Pro *δυοῖν* permultis locis nonnulli codices *δυεῖν* praebent, sed \aleph et A paucis tantum, inter quos quattuor sunt Legum. Fortasse eo tempore, quo

¹⁹⁾ praeter *ταῖν* etiam *ταύτων*, *ταῖνδε* sim.

illae sunt scriptae, *δυσί* primum in usum receptum est, sed nondum vulgaris erat forma; in inscriptionibus primum eius exemplum in titulo anni CCCXXXIV a. C. (Ol. CXI, 3) occurrit (C. I. A. II. 167. v. 78). Sine dubio autem iniuria multis aliis Platonis aliorumque locis *δυσί* scribitur, quae forma ante medium IV. saec. non videtur usitata fuisse. — Posteriori huic aetati tribuenda etiam forma *δύο* in casibus obliquis usurpata, nam Attici tempore vigentis dualis semper nom. acc. et gen. dat. distinxerunt. Velut in Aristophanis comoediis in gen. dat. nusquam non *δυσί* invenimus, mediae autem et novae comoediae apud poetas saepe *δύο* (cf. Alexidis Cnidiae fgm. Menand. gnom. mon. 343. Damoxeni Syntr. fgm.). Itaque, cum in Legibus (VIII 848 A. X 908 B)²⁰⁾ hunc usum animadvertamus, signum haud dubium etiam hoc habebimus, quod indicet Leges non multo ante medium IV. saec. scriptas esse, etsi de ea re etiam aliunde satis constat. — *δυσί* a deterioribus tantum codd. praebetur nonnullis locis.

Forma *δύω* pro *δύο* Plato haud semel usus esse videtur ut rariore. Apud Aristophanem et tragicos non extat, apud Isocratem Lysiam Xenophontem passim a codd. exhibetur (ut Isocr. X 1. Lys. XVII 6. Xen. Hell. I 1. 22), sed auctoritas manuscriptorum his in rebus admodum parva est, quippe saepissime *ο* et *ω* confundentium, metrum autem vidimus Atticorum aetate nusquam *δύω* poscere. Poterit igitur quis dubitare num atticum fuerit; sed cum compluribus locis in optimis legatur codicibus, concedamus *δύω* quamvis rarum tamen fuisse in usu Atticorum. Apud Platonem a Clark. et Par. haec forma praebetur Soph. 254 D. Phil. 53 D. Hipparch. 228 E. Reip. V 472 A. VI 509 D (hoc loco solo in Par. *δύω* extat);²¹⁾ hic igitur maneat *δύω*, sed

²⁰⁾ aliis locis apud Platonem non invenitur; in Tim. Loer. 96 A. 97 C, quo in libro etiam *δυσί* legimus 99 A; in Epinomide, quae Philippo Opuntio debetur, 984 E (*τῶν δύο ζώων*).

²¹⁾ in loco Homeri Reip. III 393 E.

illis locis, in quibus alii tantum codd. huic patrocinantur (Apol. Socr. 20 A. Phaedn. 60 B. Soph. 228 E. Gorg. 481 D. Pol. 270 A. Reip. II 360 B. III 391 C. 411 E. IV 439 E. Tim. 31 B. T. L. 99 A. Conv. 178 B. 180 D bis. Hipp. mai. 301 D. Epist. VII 333 E), aut dubiam rem esse aut *δύο* praefendum esse dixerim.

Pro *δύο* Plato interdum *δυσί* usurpat, formam a vulgari consuetudine longius remotam, sed apud tragicos frequentem; etiam hoc modum eius dicendi significat.

B. De formis dualiciis verborum.

Verborum dualis apud Platonem crebrior est quam apud alios. Nam si *δύο* et *δυσί* omittimus, cuius vocabuli cum pluralis non extaret necessarium erat dualem ponere,²²⁾ apud Platonem centenarum formarum dualiciarum vicenae senae a verbis derivatae sunt, apud Aristophanem denae septenae tantum, apud Euripidem denae, apud Sophoclem denae septenae, apud Aeschylum denae ternae; in Comm. Xenophontis vicenae quaternae, sed hic non utitur sermone vere attico; oratores omitto, rarior enim apud eos occasio dualis usurpandi numerusque formarum dualiciarum, quam qui certum iudicium admittat. Plato autem ob id ipsum libentius hoc formarum genere usus esse videtur, quia communi in usu minus frequens erat, quippe qui et alia eadem de causa fecerit. Neque in omnibus dialogis eadem numeri ratio est, in Euthydemo enim centenarum quadragenae formae verbales sunt, cuius rei praeter originis aetatem ea quoque causa est, quod in eo per multa de duobus viris narratur; etiam in Lyside formarum verbalium plures solito leguntur, quo in dialogo multa enuntiata e verbis tantum constant (*ἐξάτην, συνεξάτην*), unde illud evenit. — Formae in *τον* CLVI

²²⁾ *ἄμω* non omitto, quia pro eo licebat *ἀμωότεροι* voce uti; *δυσί* autem, quamvis multis locis, tamen pro portione rarissime pro *δύο* scriptum est.

apud Platonem extant, in *την* LXXX, in *σθον* LXX, n *σθην* XXIII (apud Aristophanem LXXIV in *τον*, XI in *την*, XXIII in *σθον*, nulla in *σθην*; apud tragicos LVIII in *τον*, XXVII in *την*, IV in *σθον*, II in *σθην*, II in *μεσθον*²³). — Formarum in *τον* sec. pers. XXVII sunt, tert. CXIII, imperat. XVIII; apud alios scriptores aut non tanto pauciores formae II. personae sunt quam III. aut plures (apud Ar. XXXVI: II. ps., XIX III ps.); sed in Platonis libris, quamvis non merae sint dissertationes philosophicae, tamen multo plus narratur et exponitur quam agitur. — Praeterea in his nihil est memoratu dignum nisi unum.

Terminationum *την* pro *τον* et *τον* pro *την* usurpatio. Notum est compluribus scriptorum locis (praeter Platonicos Soph. O. T. 1511. Eurip. Alc. 661 al.) *την* etiam in II. du. praeteritorum pers. et quibusdam (Hom. II. K 364. Σ 583 al.) *τον* in III. praet. inveniri primumque Elmsleium (ad Ar. Ach. 733, ad Eur. Med. 1041) inde collegisse *την* omnino terminationem du. praet. et opt. esse, *τον* autem ad coniunctivum et tempora primaria sola pertinere; pessimi isti Alexandrini et hic textus corruptisse videbantur, cum distincturi sec. et tert. pers. praet. alteri *τον* alteri *την* darent. Sed cum huic sententiae et loci illi *τον* pro *την* praebentes repugnent, ne id quidem satis probabiliter fingi potest, qua de causa homines illi distinguendi adeo studiosi in praeterita sola inciderint temporumque primariorum dualem multo saepius usurpatum indistinctum reliquerint. Et sane mire necessaria est illa conclusio, quam Elmsleiani proferunt, cum dicunt, quia apud poetas nusquam in II. pers. *-τον* metro cogente scribendum sit, omnibus locis *-την* veram esse lectionem. Num, quaeso, illud *την* plus uno loco (Sophocleo in Oed. R.) a metro requiritur? At debebat, si haec terminatio sola attica erat. Nonne

²³) mirum quidem videtur, quod rariores has formas tragici minus libenter quam Arist. usurpaverunt; sed ad hoc efficiendum fortasse aliquid valuit, quod illorum leges metricae severiores sunt.

II. Θ 456 et metrum et ordo syntacticus *ἔμεσθον* in II. pers. requirunt? qui locus effecit, ut de praet. activis tantum, non de praet. in universum verba fierent;²⁴) erat igitur, si Misalexandrinis credimus, in activo praeteritorum dualis secunda et tertia persona non diversa, in passivo et medio intercedebat aliquid inter utramque, etsi aperte *τον* — *την* et *σθον* — *σθην* inter se respondent et omnino *σθον* et *σθην* terminationum in passivo et medio idem est usus qui in activo terminationum *τον* et *την*. Tantum valuit unus ille in Oed. R. locus. Num, qui illud contendunt, etiam in nom. acc. II. decl. semper *-οι* pro *-ω* scribent? Metrum enim nusquam cogit, ut *-ω* scribamus, et intolerabile scilicet est eadem in re modo *-οι* modo *-ω* scriptum extare, cum eadem sit utriusque vis; totum nempe Alexandrini dualem invenerunt, ut duos et plures distinctos redderent et ab iis magnum hoc mendacium ad nos pervenit; neque iis, qui hoc non credunt, aliud restat atque ut iis locis, ubi „nobiles librarii Byzantini“ inter se dissentiant, „alea diiudicent, utra praeferenda sit forma.“²⁵) Fortasse Alexandrini tot numeros verbi finxerunt, quot numeri sunt in rerum natura, videlicet ut omnia distincta essent. Sed neque hoc quisquam credit, neque ego credo in terminationibus his dualiciis aliud factum esse atque illud, quod saepe fieri videmus (velut in feminorum duali), ut frequentior forma pro rariore ponatur; tempora enim primaria eorumque term. du. frequentiores erant quam secundariae term. et tempora et in praeteritis tertia persona quam secunda; itaque non opus est dicere alteram terminationem praeteritorum tantum, alteram temporum primariorum fuisse — ut sanscriticas

²⁴) cf. Nauckium in Comm. Acad. Petropol. XX 489.

²⁵) Nauckio, qui in Comm. Acad. Petropol. XX 490 his verbis utitur, responderim apud Platonem saltem alea non opus esse, nullo enim loco codices dissentire (praeter unum corr. Γ Euthyd. 294 E), et ex eo quaesierim, utrum, ut hoc utar, iis locis, ubi alii codd. *ἔς*, alii *ἔς* praebent, alea diiudicare an optimum codicem sequi malit.

terminationes mittam. Et *τον* igitur et *την*, ubi quicque ab omnibus aut saltem ab optimo cod. exhibeatur, retinendum esse censeo eamque ob rem scribendum *εὐρέτην* Plat. Euthyd. 273 E, *ἐπεδημησάτην* ibid., *ἦσιν* 294 E, *ἐλεγέτην* Leg. IV 705 E, *ἐκοινωνησάτην* VI 753 A, *εἰπέτην* Conv. 189 C, *ἐπετελεσάτην* Eryx. 399 D, sed itidem tenendum *εἶητον* Euthyd. 273 E, *ἐλέγετον* 274 A, *ἔφατον* Leg. I 646 B²⁶) — secundae pers., *ἔφατον* Euthyd. 274 A tert. pers. Atticum et *τον* et *την* erat et, quia *την* a consuetudine discedebat, Plato hoc ut elegantius usurpavit (etiam id respectu dignum, quod Euthydemus et Convivium dicendi modum vere atticum sequuntur etiam magis quam ceteri dialogi). Assentior igitur Curtio (de verbo graeco p. 77 sq.) et Fritzschio (ad Ar. Thesm. v. 1159). Melius enim videtur tradita retinere, ubi fieri potest, quam mutare, et linguae Graecae servare varietatem quam tollere.

Pars syntactica.

De articuli cum nominibus coniunctionibus.

Articulus apud Platonem et apud alios cum substantivo tam arte coniunctus est, ut numquam dualis articuli plurali substantivi aut pluralis articuli duali substantivi appositus sit, nisi forte excipies *οἱ δύο* et *τὰ δύο*, quae saepe occurrunt; sed Platonis tempore nom. acc. *δύο* dualicium terminationem habere iam non videbatur et saepissime in aliorum modum vocabulorum numeralium cum plurali coniungebatur. Legimus quidem *τὸ δύο*

²⁶) paucioribus igitur locis grammatici illi, quibus Elmsleio iudice distinctio debetur, in aliis tantum valentes, ipsorum ut maneret forma, effecerunt, pluribus non potuerunt. Utinam omnes interpolatores tam imbecilli essent!

Soph. 235 D. 254 D (*δύω*). Pol. 266 A. Leg. III 692 D. XII 963 D (*τούτω τὸ δύο*), legimus vero *τὰ δύο* Phaedn. 104 B.²⁷) Theaet. 190 C. Soph. 243 E (*τὰ δύο ἐκεῖνα*). 244 A. 252 E. Phil. 23 C. E. 24 A. Alcib. I 112 E (ter). Lys. 220 C. Reip. V 470 B. VII 522 C. 524 B. Leg. VIII 832 C (*ταῦτα τὰ δύο*). 833 C. IX 867 D. XI 924 D. XII 963 D (*τὰ δύο τᾶλλα*). Tim. 48 E. 49 A. Parm. 149 B (*τὰ πρῶτα δύο*), *τοὺς δύο* Gorg. 489 D. Leg. VIII 837 D, *αἱ δύο* Reip. IX 597 C, *τὰς δύο* Leg. III 684 B. Epist. VIII 357 B; dualem igitur tantum in dialogis etiam praeterea insueta usurpantibus.²⁸) Contra *δυσὶν* semper cum duali articuli coniunctum est, quoniam magis dualicium videbatur (Soph. 243 E. 254 D. Crat. 418 E. Phil. 22 B. Pol. 291 E. Leg. IV 720 E. XII 946 D. — Apud alios scriptores rarius invenitur *οἱ δύο* et *τὸ δύο*, quam ut his Platonis usus comparari possit.

De nominibus numeralibus.

Nom. acc. *δύο* et cum duali et cum plurali substantivi vel participii coniungitur neque pluralis multo paucioribus locis invenitur.²⁹) Immo apud Platonem in omnibus dialogis saepius pluralis quam dualis ponitur neque in diversis scriptis diversus est usus. Sed aliter res se habet in usurpando gen. dat. *δυσὶν*. Hunc enim eo tempore, quo dualis vigeat, numquam non eum assumpisse constat, cuius causa facillime fingi potest (cf. supra *τοῖν δυσὶν*). Sed excipiuntur haec apud

²⁷) ad hunc locum respicit frgm. II. comoediae *Ἡδονάρχης* Theopompi et in hoc quoque *τὰ δύο* extat: *τὰ δὲ δύο μάλιστα ἐν ἔστω, ὡς γησὼν Πλάτων*; sed editio Romana Laertii *τὸ δύο* praebet.

²⁸) eos tantum locos citavi, in quibus *δύο* sine substantivo legitur; in aliis enim articulus cum substantivo, non cum *δύο*, coniunctus est.

²⁹) velut apud tragicos XX locis plur., XXV du. extat. Apud Aristophanem XI quidem tantum locis plur., XXVI du., sed ne apud hunc quidem *δύο* dualem substantivi ita attrahit ut *δυσὶν*. Non igitur omnino vera sunt, quae Weckleinus cur. epigr. p. 16 sq. profert.

Platonem: *δνοῖν ὀνόμασιν* Soph. 244 C, *δνοῖν οὔσι* Phil. 53 D, *δνοῖν ὀνόμασι* Pol. 291 E, *ἀρρήτων δεῖν* Reip. VIII 546 C,³⁰⁾ *πόλεσι δεῖν* Leg. I 638 E, *δνοῖν γένεσιν* IX 864 C, *δνοῖν μοιρῶν* Epin. 981 E. Quibus omnibus locis librarios erravisse putare dualis ignaros et coniecturis formas dualicias restituere temerarium videtur cum ob numerum locorum, tum eam ob causam, quod, ut hoc utar, *οὔσι* Phil. 53 D ex *ὄνοιον* literarum permutatione vel simili modo oriri vix potuit.³¹⁾ Verisimilius est haec scripta, quae regulam antea semper observatam non sequuntur, posteriori tempore deberi; neque in Legibus aut in Epinomide hoc quisquam negat, idem igitur in Soph. Phil. Pol., cum idem in iis inveniatur, quod in illis, iudicandum videtur; et plerique hos dialogos inter posteriores esse censent (Schleiermacherus omnes II. periodo tribuit; Hermannus Soph. et Pol. secundae, Phil. tertiae; Susemihlius Soph. et Pol. sec. seriei, Phil. tertiae, Munkius Phil. secundae, Soph. et Pol. tertiae, Ueberwegius omnes Platoni seniori; Schaarschmidtus et a Soph. et a Pol. et a Phil. Platonem defendit). Sed aliud illi de Protagora sentiunt, in quo 355 B *δνοῖν ὀνόμασι* legitur (hoc quidem facilius errore ortum esse potest credi, nam *ONOMACIN* et *ONOMATOIN* non tantum inter se differunt quantum *OYCI* et *ONTOIN*). Hunc enim paene omnes primae periodi esse volunt. Sed si praeter illud, quod supra memoratum est, consideramus sedecim³²⁾ tantum formas dualicias in eo inveniri, plus autem CL formas pluralem pro duali assumpsisse, probabilius, puto,

³⁰⁾ fortasse hoc loco, quem omnino intellegere me non potuisse fateor, non tam arte ἀρρ. et δ. coniuncta sunt, sed nominat. ἀρρήτων δύο, non ἀρρητα δύο fuerit; certe de octavo tantum libro, non de tota Republica inde iudicium repeti potest.

³¹⁾ librarii autem dualem in pluralem vertere eiusmodi tantum solent in formis, in quibus inter utrumque parva literarum differentia est.

³²⁾ quarum quattuor cum ἀμοῖν coniunctae sunt, una cum δνοῖν.

videbitur primis saltem Platonis scriptis Prot. non interesse, etsi concedemus eum anno fere CCCLXXXV_o non multo esse recentiore.

ἄμφο. Huius vocabuli etsi nom. acc. dualem terminatione satis indicavit, tamen usus δύο vocis exemplum sequebatur; quibusdam enim locis et aliorum et Platonis ἄμφο cum plurali substantivi vel participii coniunctum legimus. Sed multo saepius, apud Platonem saltem, dualis occurrit et praecipue verbi pluralis nusquam huic vocabulo appositus est (sed δύο vocabulo saepius plur. quam du.). Apud alios autem etiam pluralis occurrit verbi (velut Arist. Ach. 1216. Eurip. Or. 1415. Phoen. 1424. 1454); inde quoque probatur Platonem dualem verborum ut rariorem magis adamasse quam priores. Nominis autem seu potius pronominis adiuncti pluralem in nom. acc. praebent Soph. 243 E: τὰ ἄμφο et Phil. 14 D: ἡμᾶς ἄμφο; quod, si memineris in ipsis his dialogis etiam δνοῖν cum plurali coniunctum inveniri, documento erit eius aetatis esse illos, qua dualitatis sensus adeo decrevisset, ut ne ἄμφο quidem terminatione satis valeret ad attrahendum articuli aut pronominis appositi dualem, etsi ἡμᾶς ἄμφο fortasse priore dici potuit tempore quam τὰ ἄμφο (cf. sequentia). — ἀμοῖν XXI locis apud Platonem cum duali coniunctum est, cum plurali tantum Prot. 354 A, ubi ἡμῖν ἀμοῖν legitur; quod potest quidem ita explicari, ut dicas Protag. posteriore tempore scriptum esse, sed praestat nihil inde colligere, nam etiam Sophocl. Ai. 1264 ἔμιν ἀμοῖν extat, quo apparet iam priore aetate pronominum personalium dualem minus libenter esse usurpatum.

De nominibus inter se coniunctis verbisque.

Nomina vel verba particulis inter se coniuncta eiusdem numeri formas assumere solent, sed neque apud alios neque apud Platonem hoc semper fit. Mira quidem res est, quod homines, qui in aliis concinnitatis

adeo studiosi fuerunt, hac in re eam saepissime neglexerunt, sed dubitatio non relinquitur (cf. Plat. Phaedr. 256 C. Aeschyl. Ag. 629 sq. Soph. Oed. Col. 500 sq. Eur. Hec. 124 sq. Arist. Av. 642 sqq.). Cuius rei non alia videtur fuisse causa, quam quod dualitatis sensus in hominibus hebetior erat quam initio, et quod saepe duali semel posito satis credebant significatum esse numerum binarium. Sed etiam pluribus locis in verbis illud accidit quam in nominibus; nam illorum terminationes ut graviore multo quam plurales terminationes, ita minus commodae erant loquentibus, quam terminationes nominum; sed etsi rarius occurrit, tamen quibusdam locis et in his numerum non eundem manere videmus, praecipue si enuntiata longa sunt, ut ne propinquitate quidem alterius nominis impellatur auctor ad servandum numerum (cf. Soph. O. C. 530 sqq. Eur. El. 1349 sqq.); idem scilicet factum est, ubi nomina non coniuncta erant particulis, sed sine coniunctione posita (ut Eur. Alc. 901 sq. Hel. 1664 sqq.). Talia igitur si etiam apud Platonem occurrunt, nihil docent de aetate dialogorum, sed omnibus scriptoribus communia esse putanda sunt.

De participiorum numero.

Compluribus quidem locis participia numerum subiecti non sequuntur vel eius ad quod respiciunt nominis (cf. Euthyd. 273 E. 294 D. Reip. X 614 C. Phaedr. 259A³³) Phil. 24 C) atque adeo haud semel, ubi duo vel plura participia extant, aliorum alius est numerus (Euthyd. 273 B, si iure *ιδόντες* et *αποβλέποντες* Clark. exhibet; Prot. 317 E. Phaedr. 256 C, cf. etiam Eryx. 396 B *διαφερόμενοι* *κ. τ. λ.*), sed paene omnibus locis cohaerentia

³³) Phaedr. 265 C: *τούτων δὲ τῶν ἐκ τύχης ἠθύντων δυοῖν εἰδοῖν* aut corruptum est, aut, quia numeri binarii significatio *δυοῖν* demum voce promenda erat, in antecedentibus, quae generalia sunt, pluralis positus est.

longe inter se distant, et, ubi participii dualis nominis plurali apponitur, ad pronomen spectat participium excepto uno loco Reip. X 614 C; itaque in hoc, praesertim cum substantivum et participium sine intervallo legantur (*δύ' εἶναι χάσματα ἐχομένο ἀλλήλων*), melius fortasse est lectione mutata scribere *χάσματα*, id est (ut me monuit Usenerus) *χάσματ' ἐχομένο* a librario male suppletum. Etiam *ἐδρεταὶ γεγονότε* Lach. 187 A (*πότῃρα μαθόντε . . . ἐπίσταςθον ἢ . . . ἐξευρόντε, καὶ εἰ μὲν μαθόντε, εἰ δ' αὐτοὶ ἐδρεταὶ γεγονότε, δότε παράδειγμα*) potius crediderim non recte se habere, dura enim haec coniunctio et complures codd. *γεγόνατε* praebent (A quidem et Θ *γεγονότε*), sed fieri talia omnino negare non audeo.

De ratione inter subiectum et praedicatum intercedente.

In enuntiatis, quorum in subiecto scriptor duali usus est, saepissime verbum finitum pluraliter effertur, cum verborum dualis plerisque minus quam nominum dualis acceptus sit condicioque et numerus binarius in subiecto, quod paene semper antecedit, satis indicatus videatur (praecipue apud tragicos talia invenimus, quippe qui dualem verborum etiam magis vitent; cf. Eur. Hec. 123 sq. Heraclid. 854 sq. Alc. 735 sq. Med. 969 sq. Phoen. 1404 sqq. Soph. Ant. 55 sqq. et antecedente verbo Eur. Alc. 469 sq. El. 1063). Sed apud Platonem his tantum locis praedicati pluralis legitur subiectis quaeque ad ea pertinent, dualem praebentibus: Erast. 132 B *ἐμμοῦντο . . . ἐπικλίνοντε καὶ . . . ἐσπουδακότε*; Euthyd. 271 C *πάνσοφοι ἀτεχνῶς τάγε* (hic *πάνσοφοι*, cum *ἐσόν* vel *εἰσίν* supplendum sit, praedicati pars est); 303 B *γελῶντε καὶ κροιοῦντε καὶ χαίροντε . . . παρειάθησαν*, E: *δόξατε ἂν καὶ τὰ ὑμέτερα αὐτῷ* (sc. *στόματα συρράπτειν*), Reip. III 390 C *ἐφοίτων πρὸς ἀλλήλους φίλους λήθοντε*

τοκῆας³⁴); Phaedr. 256 C διαπραξαμένω . . . χρῶνται . . .
 , γενομένω διάγονσι ἡγουμένω; Eryx. 396 C
 ὕμεις συμφερομένω . . . διαφέρεσθε, D: διαφέρεσθε,
 καὶ ταῦτα φίλω τε ὄντε καὶ συγγενέε. Quibus e dialogis
 Eryxiam et Erastas non esse Platonis constat, Phaedr.
 Euth. Reip. II sq., cum antiquiorem usum in iis extare
 etiam alia ostendant, hoc quoque indicio i. a. demonstrari
 posse puto esse priore Platonis vitae tempore ortos,
 quod usum ante Platonem vulgatum, ab iis autem Pla-
 toni scriptis, quae sine dubio posteriori aetati ascribenda
 sunt, alienum exhibeant. Aliis autem in dialogis (necnon
 compluribus locis illorum dialogorum) insuetiorum studio
 adeo ductus est Plato, ut verborum duali etiam ibi
 uteretur, ubi subiecti pluralem posuerat; id quod apud
 Aristophanem duo tantum eiusmodi extant loci (in Pluto
 fabula, earum, quae supersunt, novissima, v. 429. 30:
 δεδράκατον ζητοῦντες et 608. 9 ὕμεις . . . μειπαπέμψεσθον).
 Contra apud Platonem permulta invenimus exempla,
 velut Pol. 308 B: μόρια ἀνευθῆς οὐ σμικρὰ ἀλλήλοις δια-
 φέρεσθον; Leg. I 647 B: δύο . . . ἐστὸν τὰ τὴν νίκην
 ἀπεργαζόμενα; Tim. 56 E: δύο πρὸς σώματα εἰς ἓν
 ξυνίστασθον εἶδος ἀέρος, 56 C: τὰ δὲ ἀέρος τμήματα ἐξ
 ἑνὸς μέρους διαλυθέντος δὴ ἂν γενοίσθην σώματα πρὸς;
 Euthyd. 303 C: οἱ . . . ἐξείργασθον (sec. pers.), 278 E
 ἀνάσχεσθον . . . ἀκούοντες, Leg. VI 768 A δύνησθον
 κοινωνῆσαι . . . αὐτοί; Erast. 133 A: ἀκροαταὶ ἐγενέσθην,
 Reip. V 478 B: δυνάμεις . . . ἀμφότεραί ἐστιν; Lys. 212 A:
 νέοι ὄντες οἰοί τ' ἐστὸν . . . κῆσθαι alia. Qui proprius
 Platonis mos est (nam iis tragicorum locis, quibus similia
 legimus, aut subiecti pluralis I. declinationis est, cuius
 dualis vitabatur: Eur. Iph. A. 887. Phoen. 584 sq. 1299.
 Soph. O. C. 1618 sq., ut inde explicandus sit pluralis,
 aut imperativus extat, cui appositum participium non

³⁴) quae verba sunt quidem ad Homericum versus (Ξ 296) simili-
 tudinem conformata, sed ipsa illa numerorum varietas Platoni debetur.

bene potest subiecti pars haberi: Sophocl. Phil. 541, cui
 similis optativi usus Eur. Alc. 272; soli igitur restant
 loci Soph. O. T. 1454 οἱ μ' ἀπολλύτην³⁵) et O. C. 1369
 ὕμεις πεφύκατον, et in pronomibus personalibus
 dualem minus aliquanto usitatum esse etiam aliunde
 apparet), maxime ille quidem in dialogis elegantiorum
 quaerentibus sermonem conspicuus, sed etiam ceteris non
 absonus et imprimis idoneus ad demonstrandum, quo-
 modo Plato duali usus sit.

Ubi subiectum e duobus nominibus particula καί
 vel similiter coniunctis constat, et aliis et Platoni acce-
 ptissimus est dualis verbi, quia ita numerus binarius
 animi oculis quasi obtrusus erat. Sed ut dyadem nil
 nisi duplicem monadem, ita illam coniunctionem enume-
 rationem tantum ducere homines coeperunt neque
 cogitaverunt duos convenire, ut communiter aliquid
 agerent, ut alter alteri auxilio esset, et ita binarium
 numerum a ceteris differre. Sed ut redeam ad pro-
 positum: etiam tali subiecto et priores et Plato pluralem
 verbi nonnusquam addiderunt;³⁶) quod ne posteriore
 tempore semper faceret, fortasse illud tantum Platonem
 impedivit, quod verbi dualis ei adeo placebat.

Etiam cum neutrius generis subiecto Plato saepis-
 sime dualem verbi coniunxit.

Singularem usum Plato in substantivis participiis
 pronomibus adiectivis sequitur ad subiectum perti-
 nentibus, ubi verbi primam personam ponit. Paucis
 enim exceptis locis in illis semper plurali utitur, cum
 priores scriptores etiam dualem hoc loco saepe
 usurpent (velut Aristophanes XIX locis, tragici
 XXVI). Apud Platonem autem soli dualem retinent
 hi loci: Euthyd. 273 D: οἴόμεθα οἶω τ' εἶναι; 274 A
 ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πάρεσμεν ὡς ἐπιδείξοντε καὶ διδάξοντε;

³⁵) nisi οἱ corruptum est et ὦ scribendum; nimis enim inter
 se propinqui dualis οἱ et plur. ἀπ., et οἱ facile ex illo ortum esse potest.

³⁶) cf. i. a. Reip. VI 508 A. VIII 546 A. Leg. II 665 A.

Gorg. 481 D: *ἐγὼ τε καὶ σὺ νῦν τυγχάνομεν ταῦτόν τι πεπονθότες, ἐρῶντες δύο ὄντες δυοῖν ἐκάτερος*; Alcib. I 118 B: *ἐπειδὴ μόνω ἐσμέν*; Alcib. II 140 A: *σὺν τε δύο σκεπτιομένω τυχὸν εὐρήσομεν*; Lach. 180 E: *ἐγὼ καὶ ὁ σὸς πατὴρ ἐταίρω τε καὶ φίλω ἤμεν*; Menex. 236 D: *ἐπειδὴ γε μόνω ἐσμέν*; Conv. 174 D: *σὺν τε δὺ', ἔφη, ἐρχομένω, πρὸ ὃ τοῦ βουλευσόμεθα ὃ τι ἐροῦμεν*; Phaedr. 236 C: *ἐσμέν δὲ μόνω ἐν ζῳημία*; 278 B: *νῶ καταβάντε . . . ἠκούσαμεν λόγων*; Clit. 406 A: *ἐπειδὴ καὶ μόνω τυγχάνομεν ὄντες*. E quibus aperte Alcib. II et Convivii loci Homericum versum suae orationi accommodantes (K 224: *σὺν τε δὺ' ἐρχομένω καὶ τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν*) dualem servaverunt. Alcib. I 118 B autem et Menex. 236 D et Phaedr. 236 C paene eadem verba leguntur, ut hanc phrasin fuisse non inepte aliquis dicere possit („unter vier Augen“, „unter sich sein“), quod confirmari videtur loco Phaedr. 273 B, ubi patrono imbecilliolem, qui robustiorem verberasset, defendenti demonstrandum esse dicitur quasi per formulam iuris *ὅτι μόνω ἦστην*. Quod in Clitophonte quoque illa, sed nonnihil immutata, leguntur, reliquo huius dialogi mori respondet (cf. i. a. 410 D et Apol. Socr. 29 D sq., 409 C et Reip. I 336 D al.) argumentumque id ipsum videtur esse quod comprobet non esse Clitophontem Platonis sed imitatoris; phrasis enim erat *μόνω ἐσμέν*, non *μόνω τυγχάνομεν ὄντες*. Reliquis autem locis ita, puto, optime explicabimus, cur dualis positus sit, ut dicamus priore tempore i. e. ante quadragesimum fere vitae annum a Platone scriptos esse eos dialogos eamque ob rem usum illo tempore etiamtum vulgarem retinere; et doctorum multi hoc arbitrantur (Euthyd. Hermannus primae, Schleierm. secundae periodo tribuit, Susemihlius primum secundae seriei dialogum esse vult, Ueberwegius circa quadragesimum Platonis vitae annum scriptum esse credit; Gorgiam Hermannus et Ueberw. non multo post mortem Socratis putant esse ortum, idem fere Susem. sentit, Schleierm. et hunc Platoni quadragesimum fere annum agenti tribuit; Phaedrum

Schleierm. primum Platonis dialogum esse, ceteri plerique circa annum CCCLXXXIX^{um} a. C. n. scriptum esse censent). — Contra reliqui dialogi, etiam in quibus multa erat occasio usurpandi hoc loco dualis, semper pluralem exhibent (cf. i. a. Prot. 311 A. D. E. 314 B. C. D. E. 316 A. B. 317 C. 331 A. 348 A. 355 B. 357 C. 358 A. Phil. 12 B. 13 D. 14 B. 15 A. 20 E. 21 A. D. 23 C. E. 24 E. 25 B. 27 C. 29 D. 34 D. 44 D. 45 C al. ipsarumque Legum dualis adeo studiosarum I 639 E. 640 A. III 693 C. IV 707 C. 712 C.³⁷⁾ V 739 B.³⁷⁾ VII 793 D. 821 D. VIII 831 B. X 886 D. 900 C. 907 B). — Quod ut eveniret, adiuvit fortasse, quod in hac persona dualicia forma non suppetente pluralis verbi semper ponendus erat; sed tum demum huius pluralis vis tanta fieri potuit, cum sensus ille quem dixi dualitatis, qui Graecis priore tempore dualicias illas nominum verborumque formas commendaverat, magis magisque defecit. Etiam hoc igitur ita comparatum est, ut usum dualis Platonis tempore decrevisse indicet.

De numero formarum dualiciarum.

Valde diversa ratio diversis in dialogis inter numeros formarum dualiciarum et pluralium pro dualiciis positarum intercedit. In quibus aliquid non negaverim casui deberi; sed etiam illud non est verisimile differentiis variis temporis varietatem nusquam indicari. Casui enim vix potest tribui, quod, ut his utar, in Phaedro pluralium formarum numerus ne duplo quidem est maior (LXXXV et fere CL), in Cratylo autem tres tantum formae dualiciae leguntur (quarum una *ἀμφοῖν* est, una cum *ἀμφοῖν* coniuncta, una cum *δυοῖν*, in quibus attractione modo effectum est, ut dualis usurparetur), contra plurales fere centum; sed inde probari videtur esse aliquid temporis inter utriusque dial. originem.

³⁷⁾ fortasse his locis tres intelligendi sunt.

Similia eorum, quae in Phaedro, etiam in reliquis iis dialogis occurrunt, quos propter antiquioris usus vestigia diximus videri inter primos scriptos esse. Similem autem Cratylo Menonem reperimus, in quo praeter vocabula cum *δvoῖν* coniuncta et formas *ἀντοῖν* et *τούτων* a codicibus duale nihil praebetur³⁸) (illa autem quasi necessaria aut inveterata appellari possunt), plurales autem formae fere octoginta. Paene eadem in primo sexto septimo Reipublicae libris occurrunt; in illo enim *ἀντοῖν* tantum (348C), in his nil nisi *ἀντώ* 509 D legimus, utrumque vocabulum pronominaliter, plurales autem formas in illo plus centum, in his circa CL. Quae animadvertenti in mentem fortasse venit Hermanni sententia, qui censet primum Reipublicae librum cum ceteris non ab initio cohaesisse inque opus perfectum postea nonnulla a Platone esse inserta; sed vide ne verum sit, quod veteres tradunt (Laert. Diog. III 37) initium Reipublicae a Platone postremo vitae tempore retractatum esse; Platonis enim mortis tempore dualis paene omnino evanuerat. Permulto praeterea formarum dualiciarum numerum superat formarum pluralium numerus in Charmide Lachete Lyside Protagora Hippia maiore. Sed etsi in iis dialogis, in quibus etiam dualic. formarum numerus haud parvus est, non tanti id pendimus — nam similia etiam apud tragicos inveniuntur —, eos tamen, in quibus forma dualicia aut nulla extat aut necessariae modo quas dixi, plurales autem frequentissimae sunt, hac re indicari puto posteriore tempore esse scriptos; omnino enim Platonem duali abstinuisse eo tempore, quo in communi etiamtunc usu erat, incredibile est.

³⁸) Men. 73 D codd. *ὄψ* exhibentibus editores Wolfium secuti *ὄω* scribunt. Sed cum hic dualis usus in toto Menone nihil habeat simile, praesertim cum exempla pueri et servi necessitatis vinculo non sint coniuncta, aliud quid requiri mihi videtur; equidem legendum proposuerim *ὄων*.

V I T A.

Natus sum Augustus Henricus Theophilus Immanuel Roeper Gedani anno h. s. LVI. a. d. VII. Id. Sept. patre Theophilo, gymnasii Gedanensis professore, matre Maria e gente Loefasz, quos summo veneror amore superstites. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis imbutus patriae urbis gymnasium adii, cuius per novem annos discipulus fui florentis auspiciis virorum doctissimorum Engelhardtii Kernii Caueri. Maturitatis testimonio postquam auctus sum, vere anni LXXIV. Halas me contuli ibique per annum commoratus Lipsiam petivi, ubi per quater senos menses scholas frequentavi. Vere anni LXXVII. inter academiae Rhenanae cives receptus sum. Docuerunt me Halis Bernhardy Conrad Gosche Haym Heydemann Hildebrand Keil Ulrici Zacher, Lipsiae Braune Curtius Hermann Huebschmann Lange Overbeck Ritschl Wold. Schmidt Schoell Schuster Voigt, Bonnae Andresen Bernays Buecheler Kekulé Meyer Schaefer Usener Wilmanns. Lipsiae sodalis fui soc. phil. Lips., Halis benevolentia Heydemanni factum est, ut exercitationibus eius archaeologicis interesserem. Quibus viris omnibus summam habeo gratiam.

THESES.

- I. Aristoph. Ran. 1124 scribendum *πρῶτον δέ μοί
τιν' εἰς Ὀρσετέας λέγε.*
 - II. Pluti comoediae versus 1163. ab interpolatore
videtur confectus esse.
 - III. Menelaum et Ulixem, quos Homerus Helenae
a Troianis repetendae causa legatos missos esse
narrat (Il. *Γ* 205 sqq. *Α* 123 sqq. 138 sqq.) e
Graecia quam e castris in litore Troiano pro-
fectos esse verisimilius est.
 - IV. Euripides haud raro ornatus causa praecipue in
finibus orationum et in stichomythiis homoeo-
teleutis volens usus est.
 - V. In scholiis ad Iuv. X 165 pro *occisus excisus*
propono scribendum.
 - VI. Anachronismos in Menexeno dialogo commissos
ad Platonem non posse referri puto.
 - VII. Aristophanes ad bellicas maxime res spectantes
Homeri locos citavit vel in risus deflexit eamque
ob rem plures Iliadis quam Odysseae.
 - VIII. Linguae sanscriticae elementa volentibus tantum
tradita etiam gymnasiolorum discipulis utilia sunt;
bene enim inde, quae fuerint vicissitudines
linguarum, cognoscitur.
-